



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 111. Henrici Gravii fatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul. XVI
A. C. 1591

initium lunæ decimæ quartæ Mensis Nisan, cum suis Discipulis comederit. Edebatur hic tractatus Salmanticæ anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo septimo: porro præter hunc librum Ludovicus Legionensis pariter elucubrabat explanationem Cantici Canticorum, necnon explanationem viginti septem psalmodum, ac tres libros de divinis Nominibus: insuper cantica canticorum hispanice reddidit, qua tamen versione sua hæresis suspicionem incurrebat, adeo, ut carceri manciparetur, ubi etiam per quinque annos inclusus hærebat: tandem vero die vigesima tertia Augusti anno ætatis suæ sexagesimo quarto mortalitatem exiit.

§. CXI.

Henrici Gravii fatum.

The. l. 100.
Myr. elog.
Belg. p. 41.

Denique Henricus Gravius celebris cujusdam Typographi nomine Bartholomæi Filius primo eandem artem cum Patre suo profitebatur, celeberrimamque sese reddebat: cum vero sese ad altiora natum crederet, postea Theologiæ studio sese impendit, tam amplo eruditionis profectu, ut in Lovaniensi Universitate per viginti annos Theologicas disciplinas traderet: inde autem a Sixto V. Romam vocabatur, ut

Biblio-

Bibliothecæ, necnon Vaticanæ typographiæ curam in se susciperet: ast Romam delatus jamjam Sixtum Papam morte sublatum compererat, ab ejus tamen Successore, qui idem consilium fovebat, ad emendanda sanctorum Patrum opera impendebatur, quo labore feliciter defunctus Antonii Caraffæ, Borromæi, Columnæ, Cusani, aliorumque Cardinalium, præcipue vero Baronii etidem Cardinalis amicitiam sibi demerebatur, die autem secunda Aprilis hoc anno ætatis suæ quinquagesimo quinto Romæ quinta post suam ad hanc urbem adventum die rebus humanis valedixit. Scripserat is adnotationes in septimum tomum operum sancti Augustini, ubi hic sanctus Doctor agit de hæresibus, eadem autem occasione Grævius persæpe cujusdam tractatus Historici, quem de Donatistis elucubravit, mentionem facit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1591.

§. CXII.

Laurentiæ Strozziæ obitus.

Hoc item sæculo Rempublicam literariam plurimum illustrabant opera Laurentiæ Strozziæ, quæ non minus vitæ sanctitate illustris, quam eruditione ultra sexus sui conditionem conspicua erat, quamvis ob eximiam humilitatis suæ virtutem nunquam in am-

*Thu. 1100.
Eckard de
Script. FF.
Præd. 1. 2.*